



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

18 Parochi ad residentiam in domo parochiali sunt cogendi, & ea
deficiente, in domo parochiali propinqua.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

marum & ad residendum in ecclesia pa-
rochiali, & ibi in divinis deservendum, de-
bitoque eorum officio fungendum teneri,
& obligatos esse, ac id per Episcopos, &
aliorum locorum ordinarios tanquam Se-
dis Apostolicæ delegatos sub sententiis,
& censuris Ecclesiasticis, & pecuniariis
arbitrio eorum declarandis, ac etiam pri-
vationis dictarum parochialium, & alio-
rum quorumcunque beneficiorum pec-
nis, quacunque appellatione remota, &
quamvis alia habeat beneficia personalem
residentiam requirentia, cogi & compelli
possunt, ac debent, *ub in const. Pij. V. cupi-
entes, & cap. 1. in Bull. cap. 64.*

18 ¶ Et sunt cogendi ad habitandum in domo
ecclesiæ, vel si ecclesia domum non habeat
in propinquire intra limites parochiæ,
alias tenetur ad restitutionem fructuum,
*de quibus in eodem cap. 1. sess. 23. & ita cen-
suit congreg. concil. super eodem cap. §. cong-
censuit.*

19 Dignitates, & ¶ canonicatus in cæthe-
dralibus, vel collegiatis ecclesiis obtinen-
tes, & ultra tres menses contra conc. Trid.
dispositionem non residentes, primo anno
dimidia parte fructuum, quos ratione et-
iam præbendæ, & residentiæ suos fecif-
sent, sunt privandi; de distributionibus
quotidianis ¶ absentes adeo sunt privandi,
ut si quis de eisdem quicquam percipere
præsumit, excepta infirmitatis, aut alia ju-
sta, & rationabili corporali necessitate, aut
ecclesiæ evidenti utilitate debeat excusari,
eisdem fructus non faciat suos, sed ad
omnium sic perceptorum restitutionem
teneatur, *c. unic. de cler. & resid. in 6. conc.
Trid. cap. 12. de reform. sess. 24. & pluribus
de causis canonici à residentia excusan-
tur.*

21 Primò, ¶ enim legis permissione, qua
per tres menses abesse possunt, conc. Trid.
in dict. c. 1. §. quoniam autem, sess. 23. de refor.
non tamen canonici omnes, vel maxima
eorum pars possunt abesse eodem tempo-
re, ne ecclesia suo debito servitio desti-
tuatur, sed tantum ea quota pars canoni-
corum, quæ videbitur arbitrio Episcopi, &
capituli. congreg. conc. *super eod. c. 12. in
ver. tres menses,* ¶ Et licet impunè abesse
possent, distributiones tamen non percipi-
unt, sed illas amittunt, *congr. conc. super d.
c. 12. in decis. sub tit. Mediolanen. Gadicen.*
Quæ illæ temporibus vacationum esse de-
bent pro canonicis, qui servire volunt, *ut
in eisdem declarat, sub verb. tres menses, §.
& distributiones.*

22 Secundò, ¶ canonici missi ab eorum
Episcopis ad limina Apostolorum eo-
rum nomine, vel, comitantes ipsos Episco-
pos ad eadem limina, qui ex decreto Sixti
Papæ V. distributiones quotidianas lu-
crantur, ut testatur congreg. concil. *in de-
clarat. super eodem c. 12. in verb. fructuum,
§. canonici.*

23 Tertiò, ¶ lucrantur etiam distributio-
nes quotidianas, qui curam animarum ex-
ercent, quæ illi ecclesiæ imminet, dum ta-
men sunt in actu administrandi sacramen-
ta, vel alia exercendi, quæ spectant ad
ipsam curam, quia, tanquam præsentis in
choro habentur, ut per eandem sac. con-
greg. fuit declaratum *super eod. c. 12. in ver.
recipiant.*

24 Quartò, ¶ qui ex causa legitima com-
prehensa *in cap. unic. de cler. non resid. in 6.*
ab Episcopo excusatur à residentia chori
sine consensu capituli, de cujus interesse
agitur, sive sit canonicus, sive capella-
nus, *ut in declarat. super eodem cap. 12.*

¶ ¶ ¶ in dec.